MAGNIFICI quondam,
NOBILISSIMI, CONSULTISSIMIq; VIRI,

DOMINI

CHRISTOPHORI Richter/

Regii Provinc. Pomeraniæ Consiliarii, & Incl. Civitatis Stetinensis Consulis Opt. meriti

EXSEQVIAS

Ipſ. Eid. Martii, qvi dies CHRISTOPHORO in faſtis ſacer eſt,

Solenni ritu celebrandas

indico

ANDREAS GOTTFRIED AMMON,
Regii Gymn. CAROLINI Rector
& Phil. Prof. P.

idemqve

STUDIOSAM GYMNASII JUVENTUTEM
ad funus Primarii viri

decenti freqventia proſeqvendum

invito.

STETINI; Typis DANIELIS STARCKII, Reg. Gymn. CAROLINI Typ.

DUm ſcripto aliqvo ſupremos primario cuidam Viro honores tribuere inſtituimus, non ignotam recordamur eruditæ antiqvitatis amantibus priſcæ conſvetudinē Græciæ, qvam vetus qvoqve imitata videtur eſſe Germania. Iſtas enim gentes præter cæteras occupatas fuiſſe accepimus qvotidie, Deorum ſuorum & illuſtrium virtutibus Heroum ſcribendis atq; decantandis laudibus. Quanqvam autem Majores qvidem noſtri, Germani veteres, nitorem iſtum Græci carminis aſſeqvi non poſſent, rem tamen ipſam ſimplicitate qvadam ſermonis vel ſtudioſius expreſſiſſe videntur. Veritati enim ſtudebant potiſſimum, cum Græci homines delectare magnopere conarentur. Utriq; certè ſic videntur ſenſiſſe, qvorum plurima exſtarent in omne genus hominum merita & maximè illuſtris eſſet virtus, iisdem cùm gratias deberi exqviſitiſſimas, tum plura eſſe ab illis bona & exſpectanda & petenda. Fortes autem viros atqve juſtos, maximis ſcilicet illos duabus virtutibus præditos, qvarum altera in pace, altera in bello maximè proſit, laborum

vigilia-

vigiliarumqve suarum præmium, laudem atq; gloriam, nec intermorituram meritorum memoriam, suo sibi jure vindicare. Sic videlicet & illustribus exemplis & spe laudis post sera qvoqve fata sibi tribuendæ plures excitari ad officium, resqve benè ac præclarè gerendas sentiebant. Consvetudinem hanc obsoletam, qvod Reip. non parum interesset, revocare voluisse videntur, qvi præter honores cæteros beatê mortuis habendos literario qvodam monumento eorundem memoriam eruditis, studiosæ in primis artium ac virtutis juventuti voluere commendari. Rectiùs sane hujusmodi chartæ impenduntur, Reiq; publ. inserviunt melius, qvâm varii ingeniorum fœtus, qvos hoc seculum parturit, inter qvos libri sunt tales, qvi non modo non juvant, sed multis qvoqve modis nocent Nondum elapsus annus est, ex qvo blasphemum aliqvod Lexicon Belgicum, Amœna villa inscriptum in lucem missum nunciabatur, qvod tamen providâ pii Magistratus autoritate denuò rectius in lucem ita mittendum visum est, ut flammis combustum ne esset offendiculo incautioribus, neqve ea, qvæ impurus aliqvis & cœno intinctus calamus in sacras etiam evomere literas non erubuerat, impune inter homines Christianos divenderentur aut legerentur. Exempla verò literis mandari recta cum vetera, tum recentia, deqve benè meritis ad laudem viris non obscure, qvæ memoratu digna sunt, nunciari, id verò in viam errantes revocet, fructumqve non pœnitendum civitati præstet, dum adolescentem præsertim juventutem mirificè capit, Reiq;publ. bonos cives præparat. Nobis qvidem hodie

morta-

mortalitatis vitæqve in ea rectè & honestè degendæ exemplum sistitur Vir qvondam Magnificus Nobilissimus & Consultissimus, DN. CHRISTOPHORUS RICHTERUS, Consiliarius Regiæ Pomeraniæ Provincialis, & Consul Incl. hujus Civitatis opt. meritus; qvem natum accepimus hîc Stetini a. d. XIII. Kal. Novembr. anno M D XCVI. Patre *FRIDERICO*, Viro integerrimo, cive ac pellione; Matre *ELISABETHA HENNINGIA*. Primos ætatis annos formavit sedula parentum cura, qvâ & sacro est baptismate initiatus, & ad omne virtutis genus ab incunabulis institutus. Simul ac per ætatem potuit, in Scholam Senatoriam missus & hîc & postea Stralsundii, Annæbergæ etiam in Misnia literis operam dedit: Anno verò hujus seculi XIII. cum huc rediisset, in illustre Pædagogium receptus est, Rectore M. Christophoro Hunichio, cujus ductu Philosophicis potissimum studiis incubuit. Ejusdem consilio postea Anno cIↄ IↄcXVI. in Academiam Argentinensem concessit, sacris Theologiæ studiis sese dediturus. Neqve nulla ibidem industriæ specimina publicè exhibuit, dum seqventi anno, qvem Jubilæum agebat Ecclesia ob cœptam seculo ante feliciter Reformationem, ductu M. Caspari Brülovii, Professoris Poëseos & solutas & ligatas orationes habuit. Cum autem non pœnitendos jam in bonis artibus profectus fecisse videretur, anno seculi XIIX. cives qvosdam suos peregrinationis sibi adscivit socios & comites, cumq; Casparo Janthesio, Ducalis Dicasterii qvondam Advocato, & Nicolao Martini, Demminensium qvondam Ecclesiaste, Argentinâ & ex

Alſatia abiens Helvetios inviſit, Baſileæ aliqvantiſper commoratus. Inde per jugum Gotthardi in finibus Alpium Penninarum & Rhæticarum, intra fontes Rhodani & citerioris Rheni ſitum, in Italiam perrexit, ejusdemqve urbes vidit præcipuas, Mediolanũ Metropolin Inſubriæ, Veronam, Vicentiam, Patavium, Venetias, Mantuam, Ravennam. Umbria porrò etiam, Piceno, Samnio peragratis Anconem, Aqvilam, Sulmonem, Ovidii patriam, inviſit: Apuliam deniqve & Lucaniam cum attigiſſet, Neapoli in Campania pauliſper commoratus in reditu Romam ſalutavit: Inde Etruriam transiens, Senam Juliam, Piſas, Florentiam, Genuam, Bononiam vidit. Regreſſus per Pedemontanam & Sabaudiã, Auguſtam Taurinorum præter cæteras, qvas recenſere nihil attinet, urbes inviſit. Lugdunum porrò ad Rhodanum ſitum, atqve inde digreſſus per Ducatum Borbonium, Noviodunum pervenit. Hinc per fines Biturigum tranſiens cum Aureliam & Lutetiam Pariſiorum inviſiſſet, per Burgundiam ſalvus Argentinam eſt reverſus. Anno ſeculi XX. in patriam revocatus ab ægroto parente, obſeqvium præſtitit, eidemq; beatè morienti a. d. V. Id. Decembr. præſtò fuit. Seqventi anno XXI. in Academiam Gryphisvvaldenſem ſe contulit ſacra ſtudia continuaturus. Habuit igitur in reliqvo ſtudiorum curſu Diſputationem Theologicam, & Collegio privato Theologico ſub B. D. Mascovio interfuit. Cum anno ſeq. XXII. huc reverſus eſſet, ſacras in templis conciones habuit, in Philoſophicis etiam, adhibitis aliis, qvorum plures inclaruerunt poſtea, ſtudioſè diligenterqve ſe exercuit. Poſtea cla-

ea clarorum virorum ſvaſu ad Juris ſtudium animum appulit, qvod qvidem jam ante quoqve cum Theologiæ ſtudio conjunxerat. Profectus igitur Francofurtum ad Viadrum in convictu D. Parchovii vixit, cumq; aliis Juris Candidatis habitis discurſibus & qvotidianis exercitiis magis magisq; profecit. Cum ſub D. Matthæo Coldobacio Disputationem Juridicam & Collegium JurisPracticum, qvo non parum ſe adjutum profeſſus eſt, habuiſſet, Stetinum ad ſuos reverſus eſt, annoqve ſeculi XXIII. prid. Id. Octobr. matrimonio ſibi junxit M. Davidis Meisneri, Aſſeſſoris Judicii & Scabini filiam, Annam, qvâcum conjuge ultra XL. annos placidè vixit, pater interim factus filiarum VI qvarum tres, duas qvidem matrimonio jam elocatas, cum tribus generis, qvos filiorum inſtar dilexerat, & Conjuge dilectisſima, mœſtus præmiſit. Avus autem fuit nepotum XXIX; unius deniq; pronepotis proavus. Sed deſcribendus erat etiam breviter curſus honorum ejus, qvibus virtutum ſuarum præmiis divinitus eſt affectus. Primùm qvidē, cûm verſatus inter Procuratores Judicij, ſuis partibus rectè fungeretur, facile aditus ei ad altiora patuit. Adſcitus igitur poſtea eſt in numerum Advocatorum Ducalis Dicaſterii & Stetinenſis & VVolgaſtenſis. Anno verò ſeculi XXXIIX. omnibus ſuffragiis in Senatoriū ordinem lectus, multis ex illo tempore officiis Patriæ ſuæ præſtitis benê mereri ſtuduit. Anno IIL. Eccleſiarum ad D. Jacobi & D. Nicolai Proviſor conſtitutus, fideliter ſacros reditus octennium ipſum adminiſtravit. Anno LII. in Judicio ſuburbii, qvod Laſtadium dicitur, Prætoris munus ſuſcepit.

Qvadri-

Quadriennio post Camerarii dignitate ornatus, summos denique Consulatus honores anno LIX. capessivit. Quibus ille qvidem honoribus, uti decuit, usus publicæ potius saluti qvàm suæ intentus fuit, testisqve est tota civitas, qvot & qvâm periculosis itineribus sub Stetinensem obsidionem præcipue defunctus fuerit, aliqvoties etiam missus ad comitia Provinciæ. Anno LX. nomine Senatus & Civitatis cum B. Dn. Henrico Starckio, Holmiam ad S.am R.iam M.tem profectus, Reipubl. commodis prospexit, præterqve cætera, ornatiora Civitati insignia, & jura qvoq; Nobilitatis sibi & Collegis Consulibus, suisq; in hoc munere successoribus reportavit. Quo tempore cum moneretur, ut sibi qvoqve privatim consuleret, peteretq; aliqvid à S.a M.te R.ia, cujus facilis tùm futura fuisset impetratio; noluit ille tamen, cùm publico adesset civitatis nomine, suis tunc invigilare commodis. Triduô igitur navi Stralsundâ Holmiam reversus est, qvò ante alio triduô trajecerat: Hæc & alia B. Viri merita secutus est deniq; honor, qvô anno LXIII. mense Martio Consiliarius Provinciæ Regius designatus, postrid. Id. April. in arce VVolgastana jusjurandum præstitit. Neq; tamen hisce auctus honoribus de pristina ille modestia descivit unqvam, sed DEO potius devotas ac submissas gratias agens benè mereri de omnibus studuit, qvanqvam neq; livor illi parceret. Æqvo verò animo injurias aliorum & acerba odia pertulit, præsentem interea DEI opem multis locis sentiens. Vel cum aliqvot abhinc annis à XII. armatis eqvitibus peteretur, qvi rapere illum & curru parato aliò

vehe-

vehere constituerant, cum iisdem colluctatus singulari DEI beneficio salvus evasit. Nota est omnibus pietas viri & innocentia, ardorq; adhibitus in cultu divini Numinis, cujus etiam Ministros semper in pretio habuit: Alij exemplum ejus intuentes sunt confirmati; Miseris perfugium, afflictis solatium præstitit, juris & æqvi custos atque vindex, propinqvorum etiam, qvos vel in Academiis aluit, vel alia ratione juvit, benignus tutor atque patronus. Vitæ tandem purè eleganterque actæ finem fecit a. d. VI. Kal. Martias, ipso meridie. Quùm enim jamdudum de membrorum corporis debilitate questus esset, sacram tamen ædem & curiam, quoad potuit, frequentavit. Postqvam autem a. d. VII. Id. Febr. quæ dies Dominica Septuagesima dicebatur, sacræ concioni interfuisset, domumque, sacris finitis omnibus, reversus esset, frigoris inclementia visus est debilior redditus, viresque sensim ex illo tempore frangi cœpere. Non defuit quidem experientissimi Medici fides & industria, cum animadverterentur præsertim affectus soporosi, lethargia spuria cum febre lenta: sed ætate in senium vergente, corporisq; imbecillitate monitus finem vitæ adesse præsagiebat. Confessus igitur a. d. XII. Kal. Mart. Deo humanos errores suos SS. Eucharistiæ viatico instructus est, paucisque diebus post inter preces adstantium qvasi indormiens exspiravit annos natus LXXII. & menses qvatuor. Hodie, qvi dies Christophoro in fastis sacer est, exuviæ solenni ritu terræ mandabuntur. Quod ipsum nomen cùm beatè defuncto in sacro Baptismatis lavacro obtigisset, eundemque sæpius Christi

ſui, noſtrique Vindicis commonefecisſet, quaſi ſignum aliquod in exſequijs ipſe ſuſtulisſe videatur, ſuamque tacitus fidem profesſus esſe. Noſtrum erit, ſtudioſa Juventus, decenti frequentia exſequias ire, & exempla virtutum, qvibus ille vitam ſuam illuſtravit, ſtudiosè imitari. Adoleſcitis & vos in ſpem Reipubl. qvam quisque in partem aliquando juvare tenebimini. Nec defore confidimus, qvi perinde, ut beatè defunctus, Patriæ conſiliis & autoritate aliqvando ſint opem laturi. Ad eam autem rem præparato jam opus eſt, ne, ſiqvis imparatus accedat, & ſibi turpem ignominiam, & publicè damnum irreparabile afferat. Senator hodiè in Conſilio Provinciæ Regio & Civitatis Conſul eſt ſepeliendus. Succedent ordine alii, ſuisqve humeris imponi molem Reipubl. patientur. Paucis qvibusdam annis elapſis veſtrum etiam aliqvi ſua, qvidam fortè non disſimilia munia capeſſent. Tùm verò ignorare vobis non licebit præcipua Politici officia, & decebit vos prudentiã aliqvam, in primis βȣλευτικὴν & δικαςικὴν vobis comparaſſe. De conſiliis, inqvam, capiendis ſeu rectè inſtituendis conſultationibus de capitibus illis, circa qvæ deliberationes publicas verſari, ex arte dicendi audiviſtis, eritis ſoliciti; Modumq; præterea judiciorum exercendorum & juris adminiſtrandi addiſcetis: Qvarum rerum cognitione niſi inſtructi fueritis, periculum eſt certè, ne minùs rectè in Republ. verſemini. Non ero multus hodiè in hoc argumento, qvod aliàs perſeqvor pluribus. Unicum modo exemplum vobis ex antiqvitate conſiderandum proponam. Invenietis id deſcriptum â Xenophonte lib. III. memorabilium, ubi cùm expoſuisſet Colloqvium Socratis cum Pericle de arte Imperatoria, & iis, qvæ facerent ad conſilium dandum de re bellica, recenſet, qvomodo idem Socrates Glauconem Oratoris uſurpare munus ac præesſe Reipubl. geſtientem (Oratorum enim nomen iſtis ſeculis tribuebatur iis, qvi Rempubl. adminiſtrarent; qvod hodiè vile haberi ac tantæ dignitati impar videtur, rectè, an ſecus, jam

non

non diſputo,) ab hoc inſtituto averterit, ita primò affatus hominem, ut non invitus audiret dicentem, poſtea, cum qvidem dubium non esſet, qvin aliqvam Reipubl. utilitatem afferre deberet, ſiqvidem honore potiri vellet, per DEOS obteſtatus ſit eum, diceret, unde principium afficiendi beneficiis Rempubl. facturus esſet. Illi qvidem conſideranti pauliſper tacitè, unde potisſimum inciperet, ſuggerit Socrates, annon, uti domum amici amplificaturus conaretur eam reddere locupletiorem, ita civitatis qvoq; opes augere primum vellet omnium. Cum ille annueret, rogat Socrates, qvibus ergo ex rebus & qvantos proventus civitas habeat, & ſiqvi forte minores ſint, aut amisſi, qvo conſilio uſurus ſit ad eos amplificandos aut recuperandos. Fatentem, ſe nunqvam conſiderasſe, qvantum redituum civitas ex qvaqve re perciperet, rogat, ut ſaltem ſumtus, qvos faciat civitas, exponat: fortè enim eum cogitasſe, qvomodo ſupervacuos posſet tollere. Sed ne his qvidem ſe vacasſe unqvam, confitenti, aliud publici conſilii caput proponit Socrates, fortè cogitâſti, inqviens, Glauco, Rempubl. etiam ab hoſtibus posſe locupletiorem fieri. Annuenti, ita vero, ait, Socrates, ſiqvis eos ſuperet: At ſi illis inferior ſit, hunc etiam ſua perditurum. Atqve hinc diſcebat qvidem Glauco, illum, qvi de re bellica velit afferre conſilium, & civitatis ſuæ & hoſtium vires oportere habere cognitas. Qvod cum Glauco neqve memoria teneret, neqve ſcripto comprehenſum, qvantæ esſent Atheni-enſium copiæ pedeſtres, navales, qvantæqve vires vicinorum aut hoſtium, illam etiam de bello conſultationem in præſens prætermittendam Socrates dicebat. Idem cum de cuſtodia regionis, itemqve de annona, qvantum Glauco neſciret, facetè explorasſet, graviter hominem diſerteq; admonuit, ne perverſa & intempeſtiva gloriæ cupiditate in contrarium prolaberetur, qvippe qvi jam videret, qvàm periculoſum ſit ea dicere vel agere aliqvem, qvæ ignoret: ſe noſſe multos, qvi in contemtu potiùs, qvàm admiratione ſint eò, qvod tractent ea, qvæ neſciant. Sed hæc, qvo dixi loco, præ-

 ter

ter alia legetis, qvorum nosse interest. Nos qvod dicere institueramus, hoc erat. Ut exseqvias Viro optimè de hac civitate, nostro hospitio, merito, decenter & freqventes eatis, atqve ad similia, dum vivitis, in patriam & omne genus hominum conferenda merita Vos, suo qvisqve loco, maturè diligenterqve præparetis, publicè vos denuò cohortamur. V.

P. P.

STETINI,

Ipsis Idibus Martiis, qvi dies
J. Cæsaris, annis abhinc cIↃ IↃCCXI. Romæ
in curia confossi morte est nobilis.

Anno æræ Christianæ
cIↃ IↃC LXIX.

C.  R.

